NIEMEYER

Festgruss

des Lehrercollegiums

der

Kieler Gelehrtenschule

an die

XXVII. Versammlung

deutscher Philologen und Schulmänner.

Kiel.
Ernst Homann.
1869.

Festgruss

des Lehrercollegiums

der

Kieler Gelehrtenschule

an die

XXVII. Versammlung

deutscher Philologen und Schulmänner.

Kiel.
Ernst Homann.
1869.

Druck der Hofbuchdruckerei (H. A. Pierer) in Altenburg.

OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

Inhalt.



De locis quibusdam, qui in Ciceronis de oratore libris leguntur, disputatio.

Quum ante hos tres annos discipulis primae classi adscriptis Ciceronis de oratore libros exponerem, ea editione uti solebam, quae cura Pideritii, doctissimi viri, Lipsiae prodiit, cujus doctrina quantopere adjutus sim, grato animo memini. Itaque adversus eum cum nonnulla disputaturus sim, non id agere videri velim, ut de laude viri de interpretando illo Ciceronis vel primario opere optime meriti detraham, immo gratias non agendi solum sed referendi occasionem oblatam gavisus sum, quippe qui optimi cujusque plurimum interesse scirem non ut ipse nunquam errasse videretur, sed ut verum quod esset erueretur. Sunt autem hi fere loci, quos aliter atque a Pideritio factum est, explicandos esse arbitror.

I, 2. § 7. Quis enim est, qui, si clarorum hominum scientiam rerum gestarum vel utilitate vel magnitudine metiri velit, non anteponat oratori imperatorem? — Cicero, ut primum totum sententiarum connexum exponam, hoc loco quaerit, qui factum sit, ut plures in omnibus artibus quam in dicendo admirabiles existerent. Namque ita profecto, inquit, res se habet, siquidem in quoque genere non modo mediocrium sed maximarum artium multi excellentes fuerunt; maximarum dico, quis enim oratori imperatorem praestare non videt? Quis autem ex una civitate Romana praeclaros imperatores innumerabiles oratores excellentes vix paucos proferri posse ignorat? Atque haec omnia plana sunt et bene inter se cohaerent; difficultatem afferunt verba interposita „si clarorum hominum scientiam rerum gestarum vel utilitate vel magnitudine metiri velit“

atque imprimis nomen scientiae. Kayser pro „scientiam" legendum putat „excellentiam". Pideritius conjectura supersederi posse, codicum lectionem sic interpretandam esse existimat „si quis suam de claris hominibus scientiam metiri i. e. si quis, num in clarorum hominum numero aliquis habendus sit, e magnitudine rerum gestarum aestimare velit" (für die subjective Anerkennung, ob jemand unter die clari homines gehöre). Atque Kayseri emendationem et ipse supervacaneam esse censeo, interpretationem Pideritii improbo, ut notioni nominis scientiae adversam. Clarorum hominum, si quid video, non genetivus objecti sed subjecti est, scientia autem, sicut semper, significat = das Wissen, i. e. scientis qualitatem (die Wissenschaft subjective), sicut ars summa est earum rerum quae sciuntur (die Wissenschaft objective cfr. d. r. p. I, 2.). Itaque sententiam enuntiati nostri hanc esse censeo: „si quis, ut quisque maximas vel utilissimas res gesserit, ita plurima eum scire arbitrabitur", sive „si quo quis majores vel utiliores res gesserit, eo majorem scientiam eum habere, recte colligere licet", sive, ut ubique pro notionibus subjectivis objectivas ponam, „si quis cujusque artis dignitatem vel magnitudine vel utilitate earum rerum, quae quaque arte efficiuntur, metiri velit."

I, 36 et 37. Continent haec capita primam et alteram ex iis causis, quas Crassus affert, ut oratori juris civilis cognitione opus esse demonstret. Quae causae ut recte intelligantur, imprimis teneatur oportet, quid intersit inter jus et judicium. In jure res agitur apud praetorem, in judicio apud judicem. In jure neque quaestio habetur, neque testes audiuntur, neque sententia dicitur; sed ut haec omnia in judicio rite fieri possint, praetor ea, quae postulat is qui lege agit, eaque, quae respondet is qui in jus vocatus est, audit, in formulas legitimas redigit, judicem instruit quid potissimum quaerendum sit, eundemque prout hoc vel illud quaestione comparuerit absolvere aut condemnare jubet. Ubi formulis illis solemnibus causa concepta est, tum demum lite contestata res in judicium deducitur. Formulae illae lege constitutae sunt, concipiuntur iis ea quae afferunt litigantes. Quorum si quis propter juris ignorantiam aut non rite lege agit aut petit, quae petere per legem non licet, eum causa cadere necesse est. Jam

causarum illarum, quas Crassus commemorat, id commune est, quod in utraque causa patronus ejus, qui in jus vocavit, lege agendo petebat, quae postulare per legem non licebat, patronus ejus autem, qui in jus vocatus erat, non magis quam ille juris peritus, stultitiam adversarii in jure reprehendit utque legitima ille peteret a praetore contendit, cum si ita ut ille voluit secum agi passus esset stultitiamque adversarii in judicio in suum usum convertisset, adversarium litem perdere necesse esset. Hypsaeus orator enim, pupilli causam adversus tutorem agens, cum lex in XII tabulis actionem adversus tutorem in duplum decerneret, plus duplo lege agendo petebat. Quod si impetrasset, ut res ita concepta in judicium deduceretur, causa caderet. Cn. Octavius autem, qui pro tutore dixit, errare adversarium intelligebat, uti errore ejus nesciebat. Namque cum, plus secum agi quam quod per legem licebat si passus esset reque ita in judicium deducta pluris petitionem judici probasset, haud dubie victurus fuerit, a praetore contendit, ne plus adversarius peteret, quam lex permitteret. Quo facto temere perdidit commodum, cujus opportunitatem adversarii stultitia attulerat. Simillima est altera causa. Creditor quidam pecuniam creditam per litem exegit, cujus pecuniae non totius sed partis dies venerat, neque tamen addidit quod addere debebat „cujus pecuniae dies fuisset“. Quae verba si in jure addidisset, periculum non erat, ne, quia petivisset pecuniam antequam coepta esset deberi, in judicio causa caderet, neve iterum lege agenti obstaret exceptio, quod ea res in judicium ante venisset. Patronus autem ejus, unde petebatur, cum verba illa praescriptionem esse pro actore i. e. petitoris causa comparata esse, non intellegeret, sed exceptionem pro reo esse falso putaret, summo clientis sui damno ut adderentur illa verba in legis actione a praetore contendit, itaque ultro petitorem a periculo defendit, ne, iterum cum peteret, exceptione excluderetur, quod ea res in judicium ante venisset. Stultitia oratorum igitur non in eo posita erat, quod non statim, ut ait Pideritius, protulerunt, quod proferre debebant, sed in eo quod statim in jure apud praetorem protulerunt, quod in judicio judici probare debebant.

I. 39. § 177. Quid quod item in centumvirali judicio certatum esse accepimus qui Romam in exilium venisset, cui

Romae exulare jus esset, si se ad aliquem quasi patronum applicavisset intestatoque esset mortuus: nonne in ea causa jus applicationis, obscurum sane et ignotum, patefactum in judicio atque illustratum est a patrono? — Probat hoc loco Pideritius Ellendtii conjecturam pro „qui" „cum" scribentis; atque negari nequit hac lectione recepta totum locum simillimum fieri et ei enuntiato, quod antecedit, et ei quod sequitur. Tamen ita non omnem difficultatem tolli apparet. Nam quod Pideritius existimat structuram loci eam esse, ut verba „si se ad aliquem quasi patronum applicavisset" conditionem contineant, qua conditione illi qui Romam venisset exulare Romae jus fuerit, sensumque totius loci esse „Wurde nicht ferner, als einer nach Rom gekommen war, der unter der Bedingung sich einem Quasi-Patron anzuschliessen, in Rom als Verbannter zu leben das Recht hatte, und ohne Testament gestorben war, das ganze Recht der applicatio erörtert?: ei interpretationi obstat primum verborum collocatio (scribendum erat „cui, si se ad aliquem quasi patronum applicavisset, Romae exulare jus esset") deinde quod applicationem ad patronum conditionem juris exilii fuisse vix credibile est, denique — id quod summum esse arbitror — quod causae totius cardo in eo vertebatur, utrum applicatione quasi patrono jus hereditatis fieret annon. Quod cum ita sit, id ipsum, applicationem factam esse, in protasi vel primo loco ponendum ceterisque protasis membris non subjiciendum sed ex aequo addendum erat. Scribere igitur debebat pro „si se" „isque se". Atque ita si scripseris omnia optime fluere apparet; re vera ita textum constituendum esse vix crediderim. Neque tamen ideo Ernestio adsentior, lacunae post „mortuus" signum ponenti; immo posse quidem sanam esse codicum lectionem arbitror, Mommsenio adsentiens, qui et ipse codicum lectionem retinuit locumque ea interpunctione, quam supra posui, usus exscripsit (Römische Forschungen p. 361), modo agnoscatur quod dicunt anacoluthon. Protasis enim ita comparata est, ut scriptor non de re certis in personis et temporibus locata, sed sine designatione personarum et temporum in universum hypothetice loquatur; apodosin si accurate ad protasin respondere voluisset, ita scripsisset „num ejus heres jure applicationis patronus esset". Sed quum reminisceretur rem pro-

positam re vera in judicio centumvirali actam esse, formam orationis mutavit et apodosin addidit ita comparatam, tamquam protasis non hypothetica (si), sed temporalis (cum) antecederet.

Ejusmodi autem anacoluthiam vel duarum constructionum commixtionem non semel apud Ciceronem occurrere ut comprobem, tres locos afferam simili ratione explicandos. I, 52. § 226 haec leguntur: Quae vero addidisti non modo senatum servire posse populo sed etiam debere, quis hoc philosophus tam mollis tam languidus tam enervatus tam omnia ad voluptatem corporis doloremque referens probare posset, senatum servire populo? Scribendum erat aut „quis philosophus tam mollis tam lanquidus, ut hoc probare posset?“ aut „quis hoc philosophus, quamvis mollis, probare posset? — In altero loco I, 58 § 246, quem satis a Pideritio explicatum non exscribam apodosis deest vel potius latet in enuntiato relativo. — Tertius locus nostro simillimus legitur Brutus 9 §. 35: Nihil acute inveniri potuit in eis causis quas scripsit, nihil ut ita dicam subdole nihil versute, quod ille non viderit; nihil subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleate, quo fieri possit aliquid limatius; nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborum gravitate vel sententiarum, quo quidquam esset elatius. Difficultas loci posita est in duobus enuntiatis relativis „quo fieri possit aliquid limatius“ et „quo quidquam esset elatius“; quae ad ea, quae antecedunt, parum apta esse, quin, si ad artis logicae amussim rem exegeris, prorsus inepta videri luce clarius est. Relativa enim illa enuntiata tum demum ferri possent, si antecederet non „nihil subtiliter dici potuit“ sed „nihil subtiliter dixit“, hoc sensu: Nichts hat er fein ausgedrückt, oder in seinen Reden findet sich kein feiner Ausdruck, der an Gefeiltheit übertroffen werden könnte, kein grossartiger, der an Erhabenheit seines gleichen hätte. Rursus si illa quae antecedunt sana sunt, non „quo fieri possit aliquid limatius“ et „quo quidquam esset elatius“ scribendum erat, sed aeque atque in primo totius periodi membro scriptum est, „quod ille non dixerit, invenerit, quo ille non usus sit.“ Tamen num inde continuo sequatur, emendandum esse locum et pro „dici“ „dixit“ scribendum, valde dubito, sed ita rem explicandam esse arbitror. Duplici ratione tota sententia con-

formari et verbis concipi poterat. Aut dicendum erat: Nihil acute inveniri potuit, quod ille non viderit, nihil subtiliter dici, quod ille non dixerit, nihil grande, quo ille non usus sit; aut: in causis quas scripsit nihil acute inventum, nihil subtiliter dictum, nihil grande est et incitatum, quod non in suo genere perfectissimum sit sive quo quidquam esset perfectius. Atque priore sententiae forma Cicero in primo membro usus est, altera tamen forma cum menti ejus obversaretur, factum est, ut ab illa in hanc furtim laberetur. — Possum duos e Tusculanis locos addere I, 22 § 50, V, 27 § 76, temere ut opinor conjecturis vexatos, per anacoluthiam et ipsos explicandos, modo ne conjunctivos a particula ut pendere sed potentiales esse existimes; possum addere tertium, Tusc. I, 30 § 73, in qua una paragrapho plura anacolutha inesse nemo negat, sed redeo ad propositum.

I, 46 § 201. In causis publicis omnis haec et antiquitatis memoria et publici juris auctoritas et regendae rei publicae ratio ac scientia tamquam aliqua materies iis oratoribus, qui versantur in re publica, subjecta esse debet. — Verba „omnis haec et antiquitatis memoria“ Pideritius interpretatur: die politischen Zustände der Gegenwart und Vergangenheit. Parum recte ni fallor. Primum enim Cicero hoc loco de iis rebus agit, quas discere, quibus operam et studium impendere oratorem decet, haec memoria autem ea complectitur, quae sua quisque aetate ipse vidit; quae ut teneat non opus est studio. Deinde Cicero si illud voluisset dicere, scripsisset aut „omnis et haec et antiquitatis memoria“ aut „omnis haec et antiquitatis memoria, publici juris auctoritas, regendae rei publicae ratio ac scientia“. Qua de causa locum ita interpretandum existimo, ut verba „omnis haec“ ad tria quae sequuntur pariter referantur: Es muss dem Redner dies ganze sowohl historische als staatsrechtliche als administrative Wissen zu Gebote stehen.

II, 42. § 178. Haec ut et properans et apud doctos et semidoctus ipse percurro. — Sic codices. Quae si genuina lectio est, Antonius tres affert percurrendi causas, primam quod properat, alteram quod apud doctos loquitur, tertiam quod semidoctus ipse est. Pideritius Ellendtium secutus sic locum emendavit: Haec et properans ut apud doctos et semi-

doctus ipse percurro. Duas igitur percurrendi causas esse statuit, alteram quod — ut apud doctos — properat, alteram quod semidoctus ipse est Antonius. Non satis placet codicum lectio, displicet Ellendtii. Quid enim? Si quam ille excogitavit lectionem vera esset, nonne prorsus supervacaneum esset „properans"? Nervum certe prioris causae in verbis „ut apud doctos" positum esse manifestum est. Itaque si quem codicum lectio offendit, is scribat suadeo: „Haec properans, ut et apud doctos et semidoctus ipse, percurro".

II, 18. § 316. Et ait idem, cum brachium concalefecerit, tum se solere pugnare. — Pideritius ad hunc locum haec adnotavit: „wenn er also die nöthige innere Wärme fühle, im Vertrauen, dass sich dann schon das rechte Wort von selbst einfinden werde." Quae verba ut non plane declarant, quid senserit, ita dubitationem afferunt, num comparationem, quae in loco inest, recte intellexerit. Neque enim Cicero de interiore quodam calore loquitur, quo impulsus Philippus ad dicendum surgat, sed de calore, quem inter dicendum sensim concipere solebat. Philippi orationes ceteroquin laudabiles erant, frigebant exordia, neque ipse negabat, excusabat se dictitans, se idem facere, quod gladiatores facere solerent, qui cum brachium concalefecissent tum serio et intentis viribus pugnarent. In quo non attendit, ait Cicero, quantum inter se et gladiatores intersit. Illi enim, cum primas illas hastas leniter jactant, id spectant idque assequuntur, ut et venustati serviant et reliquis viribus suis consulant, Philippus autem invenusta orationum exordia temere effundit perditque.

III, 61. § 228. Edidi, quae potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiae coegerunt. Scitum est enim causam conferre in tempus, cum adferre plura, si cupias, non queas. — Ad hunc locum a Pideritio haec adnotata sunt: causam conferre in tempus, eine fast sprichwörtliche Redensart: sich nach der Zeit, die einem zugemessen ist, richten; eigentlich die Sache oder den zu behandelnden Gegenstand in die Schranken der Zeit fassen, die man hat. Atque equidem „in tempus conferre" id significare posse non nego, hoc loco significare non credo. Quid enim quaeso, si ista vera sunt, sibi volunt verba quae sequuntur „cum adferre plura, si cupias, non queas?" An tu Crassum hoc dicere voluisse putas: bene

feceris, si intra praestituti temporis fines rem absolveris, cum plura, quamvis cupias, propter ipsas temporis augustias dicere non liceat? Quod ut verba significare possint, nonne prorsus supervacanea sunt illa „cum adferre plura, si cupias, non queas"? At longe aliter res se habet. Crassus re vera omnia attulit, quae habebat, et si quae leviter perstrinxit velut cap. 37, 53, 54, de industria brevis fuit, ne trita rhetorum praecepta uberius exponendo taedium iis qui audiebant afferret. Temporis angustias non veram brevitatis causam habuit, sed fictam praetendit, idque jocans et tamquam se irridens ipse fatetur; scitum est enim, inquit, i. e. assolent fere haud inepte oratores, cum plura afferre quamvis cupiant non queant, causam i. e. culpam in tempus conferre. Ita ea quae antecedunt „ut me temporis angustiae coegere" rhetorum more modoque dicta esse ipse indicat; atque ita demum si locum intellexeris, verba egregie conveniunt ad modestam illam eandemque lepidam urbanitatem, qua Cicero virum summum artificii sui praecepta tamquam ineptias (cfr. I, 24) tradentem facit.

Dr. C. Niemeyer.

Druck der Hofbuchdruckerei (H. A. Pierer) in Altenburg.